



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsque ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 1. Quis sit, & quas condiciones requirat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

DISPUTATIO XXI.

De secunda parte materiae huius Sacramenti, quae est confessio, quid sit, & qualis esse debeat.

A gant ad confessionem faciendam. Priora ergo praecpta explicabuntur simul cum conditionibus confessionis: quia non potest intelligi, an sint de necessitate confessionis nisi explicetur simul quanta sit obligatio illas obseruandi. Posteriora vero praecpta explicabimus in fine huius partis, sicut in aliis sacramentis obseruare solemus.

SECTIO I.

Quid sit Sacramentalis confessio, & quas conditiones habere debeat.

Hilarius, August.



Istinguui solet à Sanctis Patribus confessio in confessionem laudis, & peccatorum, seu accusationis, vt videre licet apud Hilarium exponentem verba illa Psalmi 66. Confiteantur tibi populi Domini: & apud Augustinum Epist. 120. ca. 24. & in id Psalm. 94. Praeniamus faciem eius in confessione. Et communiter notant interpretes in id Matthaei, 11. Confitebor tibi Pater. In quibus locis sermo est de Confessione laudis diuinæ, quæ proprie actus est religionis, tamen etiam pertinet ad exteriorem fidei professionem, quæ in vniuersum etiam solet confessionis nomine significari; iuxta illud ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hic, ommissa confessione laudis, nobis de confessione peccatorum sermo est; quæ vterius distingui potest in confessionem mere internam, quæ soli Deo fit, iuxta id Psal. 31. Confitebar aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei: & in confessionem exteriorem, quæ fit homini, de qua dicitur Iacob. 5. Confitemini aliterurum peccata vestra. Hæc est, quæ ad hanc secundam partem materiae huius sacramenti spectat: nam prior ad contritionem potius pertinet, vt in superioribus visum est.

Rom. 10.

Psal. 31.

Iacob.

De hac ergo confessione primum occurrebat dicendum ad his, quæ pertinent ad questionem, an sit aliqua exterior confessio, quæ sit pars essentialis huius sacramenti, vbi dicendum esset de institutione, & necessitate eius, tam ad constitutionem huius sacramenti, quam ad remissionem peccatorum, seu salutem fidelium. Verum hæc à nobis tradita iã sunt. Nam declarando institutionem, & essentiam huius sacramenti, ostendimus cum Concilio Tridentino sess. 14. c. 5. ex illa euidenter colligi, eandem esse institutionem, & necessitatem confessionis; quæ iudicium inter homines perfici non potest, nec sententia proferri, causa non audita: auditur autem per confessionem externam, & sensibilem propriam ipsius penitentis; nam quia hoc iudicium non est forense, & coactum, sed voluntarium ac medicinalle, ideo accusatio in illo voluntaria etiam esse debet.

Cont. Tri.

Atque hinc facile colligitur quid sit hæc confessio, saltem quoad nominis descriptionem; quæ sumitur ex D. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. art. 2. & aliis Theologis ibi: est enim legitima, & sacramentalis accusatio de propriis peccatis, ad eorum veniam virtute clauum obtinendam, coram sacerdote facta. Cuius descriptionis explicationem trademus sect. sequent. discurrendo per eas conditiones, quæ sunt de necessitate huius confessionis, vt verum sacramentum ex ea confici possit. Nam cum harum rerum essentia moralis sit, & ex institutione procedens, tota consistit in hoc, quod confessio habeat conditiones omnes, quas iuxta suam institutionem requirit, quas in sequenti sect. ad nonnulla capita reuocabimus. Deinde sigillatim de illis differemus. Atque ex his etiam intelligitur, disputationem de præceptis pertinentibus ad hanc confessionem, coniunctam esse cum illius cognitione: quia necessitas confessionis, & conditionum eius ex præcepto nascitur: & ideo non possunt hæc commode disputatione separari. Maioris tamen claritatis gratia, distinguere possumus in præfenti duplicia præcepta, quædam quæ pertinent ad specificationem, seu modum actus, quæ traduntur sub conditione scilicet, si confessio facienda est, vt cum hac, vel illa conditione fiat. Alia vero sunt præcepta pertinentia ad exercitium actus: quia obli-

D. Tho.

In hac confessione aliquid intelligi potest per modum substantiæ, & aliquid per modum accidentis. Substantia eius videtur consistere in signo sensibili, quo manifestantur peccata sacerdoti in hoc foro: per modum autem accidentium erunt conditiones aliæ, quæ ad hanc confessionem requiri solent. Quia vero multæ ex his conditionibus substantiales sunt, ideo videntur potius esse per modum differentiæ, & illud signum esse substantiam per modum generis: & ideo fortasse solent auctores conditiones illas vocare qualitatem confessionis: quia, differentia prædicatur in quale, genus autem in quid. Circa substantiam ergo huius partis declarandum occurrebat, quodnam debeat esse signum, quo facienda est confessio. Sed quia hoc pendet ex cognitione aliquarum conditionum confessionis, ideo prius de illis dicemus: sæpe enim cognitis accidentibus, facilius substantia declaratur.

In confessione ne datur substantia, & qualitas.

Solent igitur Doctores communiter decem, & sex confessionis conditiones assignare, quas his verbis comprehendunt.

Conditiones confessionis.

- Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis, Atque frequens, nuda, discretas, libens, verecunda, Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata, Fortis, & accusans, quæ sit parere parata.

Hæc vero conditiones sine methodo, & vulgari modo positæ sunt, & plures illarum non pertinent ad substantiam confessionis, & aliquæ non tam respiciunt modum vel qualitatem vniuersiuique confessionis, quam convenientem vsum seu consuetudinem eius, vt quod sit frequenter accelerata. Vt igitur ad meliorem ordinem, & pauciores numerum redigantur, recolenda est descriptio confessionis superius data, scilicet, quod sit Legitima accusatio priorum peccatorum, coram sacerdote locum Dei in iudicio sacramentali habente, ad veniam peccatorum per virtutem clauum obtinendam. Nam ex ea intelligi potest, vnam ex prædictis conditionibus, scilicet, Accusans, continere substantiam huius confessionis tantquam genus eius: reliquas autem omnes poticas esse ad explicandam specificam rationem huius accusationis. In qua, sicut in aliis accusationibus, quinque possunt considerari, scilicet, materia accusationis, modus eius, persona accusans, & quæ accusatur, & apud quam personam accusatur. Ad explicandam materiam dicitur in dicta descriptione, quod sit de propriis peccatis: quod intelligitur de actualibus, commissis post baptismum, vt superius explicatum est. Et dum indefinite dicitur, de peccatis, significatur debere esse de omnibus, quæ simpliciter & quasi per antonomasiam peccata sunt, id est, de omnibus mortalibus non confessis. Quæ conditio explicatur per aliam, scilicet, integram, ad quam reduci debent plures aliæ, vt aliquo modo ad confessionem pertineant, vt quod sit simplex, id est, non ita artificiose composita, vt ea ratione aliquid occultetur: quamuis possit particula illa ad debitam intentionem referri, vt statim dicam. Item dicitur pura, id est, non mista rebus ad confessionem non pertinentibus. Et hæc maxime spectat, vt vnusquisque propria peccata, & non aliena confiteatur: nam est ac-

Confessio definitio, & substantia.

Accusans.

Integra.

Simplex.

Pura.

culator

Fidelis.

cusator sui, & nō alterius. Item dicitur *Fidelis*, id est, sine mendacio, quia nec dici debet q̄ factum nō est, nec negari quod commissum est. Imo nec taceri, si tale sit, vt ad talem integritatē pertineat. Et ad hoc magis explicandum additur quod sit *nuda*, id est aperta, clara, & non palliata, vnumquodq̄, sicut est, vel probabiliter esse existimatur, proferendo. Quod vero sit discreta, nihil speciale addit: nam illa vel est cōditio generalis omnis actus studiosi, nimirū q̄ prudēter fiat: vel solum declarat, in confessione, superflua esse rescanda, & necessaria dicenda. Vnde hęc cōditio potest etiam ad alias cōditiones applicari: nā omnes debent cum discretione seruari, & tempus, ac locus, & confessor ipse, & modus explicandi discrete eligendus est. Quod vero additur *fortis*, etiam est commune omni virtuti, vt propter nullam difficultatē omittatur quidquid ad illius reditudinē necessarium est: & in præsenti declarat ob nullā verecundiā, vel similit̄ humanam causam, aut difficultatē, integritatē hanc esse mutilandam. Possunt etiā ad hanc cōditionē reduci ille duę cōditiones, *frequens*, & *accelerata*, id est, quod sæpe fiat confessio, & post peccatum commissum nō nimium differatur, quæ in tātum possunt ad integritatē pertinere, in quantum moraliter iudicatur necessaria, vt peccatum non excidat memoria, & ea de causa obliuioni tradatur, vel si hac ratione necessaria non sunt, pertinent ad consiliū. De qua re dicemus latius infra agentes de integritate & præcepto.

Nuda.

Discreta.

Fortis.

Frequens, Accelerata.

Qualitas confessionis.

Humilis.

Caiet. Libens. Lacrymabilis.

Parere parata.

Omnes cōditiones confessionis ad res reuocantur.

Circa modum confessionis, qui dici potest qualitas eius, notari potest, duplicem posse esse hunc modum, videlicet *essentialem*, & *accidentalem*. *Essentialis* solum est, vt fiat ex animi dolore: nam hoc pertinet ad rationem accusationis, vt supra declaratum est, & est per se necessarium ad veniam, quam respicit hęc accusatio. & ita hęc cōditio indicatur in definitione, tam in eius genere, quam in vltima particula illius. Et hūc ipsum modum declarat plures aliz ex dictis cōditionibus, verbi gratia: quod sit *humilis* confessio, id est, ex recognitione & dolore proprii peccati. Et hūc etiam pertinet q̄ in exteriori modo decenter & humiliter fiat, tam in verbis, quā in ipso corporis habitu, vt bene exposuit Caietanus in Summ. verb. *Confessio*, item quod sit *libens*, id est voluntaria: nam hoc etiam pertinet ad voluntatis dispositionem. Item quod sit *lacrymabilis*: nam hoc in tantum est necessarium, in quantum voluntatis cōrrectionem, vel attritionem indicat: reliqua enim, quæ ad appetitum sensitium, vel ad corpus pertinent, vtilia quidem sunt, & sæpe consequuntur; nō tamen sunt necessaria. Denique ad hoc etiam pertinet, vt sit *parere parata*: indicat enim hęc particula propositum emendæ, & satisfactiois, de quo qualiter necessarium sit, supra diximus. Modus autem accidentalis erit, vt *secrete* fiat confessio, quæ est alia cōditio in illis numerata: de qua cum aliis, quæ illā concernunt, statim dicemus.

Reliqua tria, quæ diximus esse consideranda, nō explicantur in prædictis cōditionibus, subintelligenda autem sunt in ratione accusationis voluntarię: nam hinc habemus, eundem futurum esse accusatorem & reum. Supponitur etiam huiusmodi hominem, qui se accusat, debere esse baptizatum, quia alias non est capax accusationis sacramentalis, neq̄ veniæ virtute clauum obrinenda. Et ita etiam hoc in definitione significatur, nec maiore indiget declaratione. Igitur prædictas cōditiones omnes ad tria capita reuocare possumus, quasi ad tria prædicamenta, qualitatis, quantitatis, & ad aliquid: nam modus confessionis, & signi, quo facienda est, ad qualitatem eius spectat: integritas vero ad quantitatem redacitur & extensionem, quam ex parte materię confessio habere potest. Quod autem fiat coram legitimo iudice, respicit ordinem seu habitudinem ad aliquid. Primam igitur partem in hac disputatione

expediemus, quia necessaria est ad explicandum signum sensibile, quo facienda est confessio: postea de integritate dicemus, ac tandem de iudice, vbi simul explicabimus munus confessoris, & omnia, quæ ad illum pertinent.

Traçant autem D. Thomas, & alij Theologi in 4. dist. 17. & Soto in 18. an hęc confessio sit actus virtutis pœnitentię. Hanc vero questionem satis explicitam reliquimus in superioribus, agentes de exterioribus actibus virtutis pœnitentię. Nam ex ibi dictis constat hunc actum ex suo genere, & secundum substantiam suam esse actum exteriorē huius virtutis: nam in eo inuenitur proprium motiui, & obiectiua honestas virtutis pœnitentię. Vt autē talis actus sit materia huius sacramenti, non videtur simpliciter necessarium, vt ex intentione sub dicta formalitate fiat, sed satis est, vt fiat ex intentione conficiendi hoc sacramentum absque impedimento, vel obice illi repugnante. An vero necesse sit fieri ex aliquo motiui honesto, in præcedenti disputatione sufficienter tractum est.

SECTIO II.

Vtrum Auricularis seu secreta confessio sit de necessitate huius sacramenti.

Auricularis cōfessio dicitur quæ secretè fit: quia vero in iure *secretum*, & *publicum*, magnam habent latitudinem, in præsenti secreta confessio dicitur, quæ sine vilo teste fit a pœnitente, coram solo sacerdote: & ad explicandum hunc modum secreti, *auricularis* appellata est. Hic vero nō agitur de substantia confessionis; iam enim ostensum est illam esse necessariam: sed agimus de modo huiusmodi secreti, an etiam ille necessarius sit. In qua re duo extrema cauenda sunt. Vnum est hæreticorum huius temporis, qui hūc confessionis modum irridunt vt superstitionem, & ab hominibus inuentum: quia in sacra Scriptura (vt aiunt) non reperitur, imo in primitiua Ecclesia vitatus non fuit. Quod colligunt ex antiqua consuetudine agendi pœnitentię publicas pro peccatis: ex qua inferunt, confessionem nunquā fuisse factam secrete in ordine ad remissionem peccatorum, sed tantum publice in ordine ad correptionem, & publicam ædificationē. Alterum extremū est quorundā Scholasticorum, qui sentiunt esse necessarium, vt Scotus, & Gabr. dist. 17. q. 1. & Angelus verb. *Confessio*. nu. 29. & 30. probabileq̄ putat Rich. d. 17. art. 2. q. 8. Qui è conuerso fundantur in perpetua Ecclesię traditione, quæ Christi Domini institutionem declarat.

Prima Assertio contra hæreticos.

Dicendum est primo, modum secretæ confessionis honestum & sanctum esse, & ad sacramentum sciendum sufficientem. Assertio est de fide, definita in Concilio Tridentino session. decima quarta capite quinto vbi contrarium errorem expresse condemnat. Sumitur etiam ex c. *Omnis vtriusque sexus*, de Penit. & remis. vbi soli sacerdoti dicitur confessio facienda. Consuetudo etiam Ecclesię vniuersalis hoc satis probat, neque enim errare potuit in re tati momenti. Præsertim cū nō sit noua, vt heretici fingunt, sed antiquissima a principio nascentis Ecclesię, vt Tridentinum commemorat. Et sumitur ex Concilio Cabilonenf. cap. 33. & ex Leone Papa epist. 78. alias 80. vbi grauitè reprehendit eos, qui cogunt peccatores vt publice confiteantur. Et Cypriano libr. de Lapsis, & libro tertio epistola decima quarta, Hieron. in illud Ecclesiast. 10. Si mormoris serpens in silentio, non est amplius habentis linguam. Vbi hoc declarat de illo, qui non vult confiteri